QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 28. Februarii 1715.

M. CLAUDIO ANTONIO RENARD,
Doctore Medico, Præside.

An mores parentum traducuntur ad sobolem?

I.

HUMANUS animus suâ naturâ extorris materiæ, & elementorum exors, illigatur corpori quod agit movetque: Et quamvis diversa sit utriusque natura atque conditio, perpetuisque odiis diffideant, quamdiu tamen corpori ille adunatur, cujus rector est, ut gubernator navis, sic ipsum impellit, ut vicissim ipse impellatur, & illius quoque motiones in se sentiat. In eo velut in carcere, vel si malis, sepulchro situs, desinit esse sui juris & suæ potestatis, nullasque edere functiones valet immunes à corpore. Quid enim agat artifex quantumvis peritus, instrumento vacans? Cujus perfectionem integritas, vitium ipsarum impedimentum eversioque sequitur. Animus videt, animus audit; sed si oculos occuparit glaucoma, si aurium meatus crassus humor obsederit, frustrà vim suam exerit animus. Eodem modo, nec sentit sine nervo, nec movet sine musculis, nec sapit aut meminit sine cerebro. Otiosa tamen est absque spirituum & humorum ministerio, partium singularum opera, quorum moderatione

vel intemperie, recta vel vitioſa pendet in generationis primordiis membrorum configuratio.

II.

MORES ſunt inſitæ vel inſitivæ quædam propenſiones quibus incitatus animus, vel pathematis, vel virtutibus aut vitiis, facilius aſſueſcit. Inſitivos ab imitatione & inſtitutione, inſitos à naturâ hauſtos, & pueri & lactentes ipſi ante voces exprimunt; Imò in ipſis quoque contrarios obſervamus. Hic liberalis & benignus eſt, ille invidus; hic lenis & miſericors, ille alienis malis exultat; hic pavidus eſt, ille audax. Tot morum diſcrimina ab humorum diverſâ indole proficiſcuntur, ut recta vel mala mens à corporis diatheſi pendeat. Sic à ſpirituoſo ſanguine docilitas, manſuetudo, Veneris ſtudium, ſtoliditas pulchritudinis aſſecla: à redundante parte ſeroſâ ſegnities, torpor, mentis hebetudo, ſomnolentia: à parte craſsâ, metus, mœror, ſalacitas & animi robur: à ſulphureâ ſanguinis parte incandeſcentia, levitas, ſuperbia. Nec à ſolis humoribus ingenium & mores, ſed & à cœlo & ſolo immutantur, quorum amœnitas aut inclementia indolem quoque reddit conſimilem. Sic in Septentrionalibus duritas & diritas morum, in Aſiaticis comitas apparet & recta indoles. Nonne in ipſos jus habent & virtus & ſcientia, victuſque ratio? quorum plerumque ea ſolet eſſe vis & efficacitas, ut qui naturâ ſuperbus erat, humillimus reddatur. Nolim tamen credas, vitæ inſtitutum, hominumque mores inſitos, adeo per educationem mutari poſſe, ut nihil horum poſthac ſuperſit.

III.

SEMEN veluti quoddam ψυχῆς καὶ σώματος ἀπόσπασμα ſingularum corporis partium idæam refert, à quibus excerpitur & decidit; hominis compendium jure dixeris. In ipſo æternum reddit natura, quod mortale genuerat: Neque illud perit omninò, quod alio ſimul renovatur ac repubeſcit. Hoc modo ſpecies & ſpeciei conſervator ſexus perennat, ipſaque paterni oris & corporis effigies, ipſe geſtus & nutus

in filiis ſpirat; imò ut nihil deſit, colores, nævi & cicatrices in eâdem particulâ pinguntur. Finis ab ortu pendet, rectèque dixeris in ſemine naſcituri hominis fata occultari, legemque canorum & barbæ. Tot motuum principia in hâc guttulâ latent, ut rerum majeſtas in gemmâ unâ: quæ altius interdum quàm à patre ſcaturiunt, ut in albi parentis filio nonnumquam reviviſcat avus Æthiops.

IV.

EFFECTUS principiis reſpondent, neque ex aquâ ignis, neque ex igne aqua generari poteſt. Ex ſincero ſanguine nec-non bilioſo calidum ſemen, ex craſſiori, viſcidiori, nimiſque ſeroſo non niſi frigidum conficitur. Hinc animo, temperie, formâ vulgo filii parentes referunt. Nec perit ſeminis materia in conformationis opere, ſed ſuis perfuſa qualitatibus ſervatur, & in generatas partes abit; ideòque non niſi ſupremo interitu primæ iſtius materiæ temperies aboletur. Eſt etiam in malis hæreditas, & propagantur morbi per traducem, filiis, quidquid parentes peccaverint, immeritâ calamitate luentibus; adeo ſimilitudinis ſollitcita natura eſt, ut ægris parentibus natos, infœlices potius gignat quàm diſſimiles. An illa in perfectis deficiet? Minimè Nullus verè eſt heros, qui heroëm non progeneret, in hoc alioqui vili quovis animante foret inferior, quod præſtantiſſimâ ſimilis procreandi virtute non caret.

V.

MONSTRUM eſt quodammodo, patrem non referens filius; neque quidpiam habet effectus naturalis, quod à causâ non mutuetur. Quis ex aridâ radice flores expectet? aut ab imbelli columba ferocem Aquilam? fortes creantur fortibus & bonis. Id palam fit in generationibus animalium, imò & plantarum: cùm ad initûs equarum, equi meliore admiſſurâ creati, ad canum catullientium congreſſus generoſi canes uſurpentur, & ad vites, oleas, cæteraſque arbores propagandas, optimæ vivi-radices & ſurculi deligantur. Hinc à ſapientiſſimis regnum hæreditarium conſtitutum eſt, ex magnis

& heroïbus viris ſimilem prolem expectantibus. Hinc à plebeio plebeius, libidinoſo projectæ pudicitiæ adoleſcens & luxuriæ mancipium, à ferino & immitti, ferinis quoque moribus naſcitur filius, quos numquam exuit, licèt aliquando ſubmittat, ſed cùm minimè expectaveris exaſperantur mitigati, nec unquam bonâ fide manſueſcunt aut cicurantur. Quid plura? parentum virtutes & vitia unà cum ſemine quaſi inſtillantur filio, in quo eorum perſæpe frons, oculi, vultus, agnoſcuntur, ſæpiſſimè autem mores,

Ergo mores parentum traducuntur ad ſobolem.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ludovicus Guillot Scholarum Profeſſor.	*M. Philippus Fontaine.*	*M. Jacobus Simon Gilles de la Riviere.*
M. Joannes Baptiſta Fermelhuis in Regiâ artium Academiâ ſocius honorarius.	*M. Antonius Pepin.*	*M. Ludovicus Lemery Regiæ ſcientiarum Academiæ ſocius.*
M. Joannes Depiney Peſchard.	*M. Petrus Azevedo.*	*M. Petrus le Tonnellier.*

Proponebat Pariſiis JACOBUS-ANTONIUS MILLET Senonenſis, Baccal. Medicus, A.R.S.H. 1715.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.